



**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Diff. 3. An secunda Operatio & non solus Syllogismus sit
materiale Logicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

INSTABIS. Corrigere apprehensiones pertinet ad alias scientias.

RESPONDETUR. Sicut ipsa definitio & divisio qua talis, non spectat ad alias scientias, ita nec correctio talium apprehensionum.

Punctum Difficultatis 3.

An secunda Operatio & non solus Syllogismus sit materiale Logicæ.

DICENDUM EST. Etiam secundam Operationem, & non solum Syllogismum, esse objectum materiale Logicæ.

PROBATUR I. Quia etiam secunda operatio potest bene vel male fieri, sitque tam variè. Ergo est capax directionis.

PROBATUR II. Si secunda operatio non esset objectum Logicæ, remanente secundâ operatione & impossibili tercia operatione syllogistica, non esset possibilis Logica saltem partialis, nam est nexus essentialis, scientiæ, ad objectum. Hinc manere scientiam sine objecto, esset manere essentiam sine essentiali, sed manente secunda operatione & impossibili syllogistica, maneret adhuc partialis Logica, quia adhuc maneret regulæ rectificativæ Æquipollentiarum, adeoque possent esse æquipollentes regulæ, item de Oppositione, Conversione &c. Ergo

RESPONDEBIS I. Actus illos seu præcepta, quæ informarent intellectum, de Æquipollentia, Conversione, Oppositione propositionum, & operationes secundum illas factas, non fore actus Logicæ.

CONTRA. Quia actus, qui essent circa elementa, secundum quod sunt corpora naturalia, impossibili etiam reddito misto, adhuc essent Actus Physicæ, reperiret enim adhuc in illis Physica, suam scibilitatem, cur non enim? Ergo etiam Definitiones & Divisiones in dicto casu, essent actus Logicæ. Tum quia nec Physica nec Metaphysica tunc practicè diceret, quomodo illi actus essent faciendi. Ergo diceret Logica. Ergo adhuc illi actus forent Logicæ. Tum quia nulla esset disparitas inter præsentem Æquipollentiam & illam quæ nunc fieret. Ergo utraq; spectaret ad Logicam.

RESPONDEBIS II. Cum Conimbricensis. Logicam quæ modo est, esse inventam ad id emandandum, quo deficiamus ab Angelis, deficiamus autem ab Angelis in hoc, quia ex uno inferimus aliud, cum illi omnia simul cognoscant, cum ergo Enunciatio non syllogisaret, nec eam dirigere, nata erit Logica.

CONTRA. Quia deficiamus ab Angelis etiam in hoc, quod malas contradictorias formemus, quod ad secundam spectat Operationem. Ergo etiam in hoc corrigi debemus,

RESPONDEBIS III. Mansuram illam Logicam in dicta suppositione, non ejusdem speciei, quæ modo est.

CONTRA. Quia si hoc sensu non manebit Logica ejusdem speciei, hoc est, quia non habebit eandem totalitatem, vera est responsio, sed non est contra nos. Si autem hoc sensu non erit ejusdem speciei, quia nihil manebit de formali intento Logicæ, hoc ipsum probandum fuit; & si, ut dictum supra non posset disparitas tunc in æquipollentis assignari, siquidem illi actus iisdem præceptis inniterentur, consequenter nec esset ulla specifica diversitas.

PROBATUR III. Tum quia independentè à tercia operatione, secunda Operatio est Operatio intellectus. Ergo independentè ab illa, erit etiam materiale Logicæ. Tum quia non est ulla specialis operatio voluntatis, quæ sit materiale Ethicæ, exclusis reliquis. Ergo nec excludi debet ab objecto materiali Logicæ secunda operatio. Tum quia ponamus Deum nolle concurrere ad ullum actum tercia operationis vel producere creaturam non potentem argumentari, potentem tamen affirmare & negare, æquipollentias & conversiones facere &c. Tunc quæro, vel poterit homo elicere actus malos Conversionis vel Oppositionis Propositionum vel non poterit? si non poterit, cur non? cum possit cum tali defectibilitate, stare suppositio allata, si poterit etiam malos elicere. Ergo dabitur Locus directioni secundæ Operationis. Ergo illa est objectum materiale Logicæ.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis 1. priorum cap. 1. ubi dicit investigandum esse. Quid & cuius sit consideratio, responderetque quod sit consideratio Demonstrationis, & postea inquit, quid est propositio & quid Terminus.

RESPONDETUR. Hoc ipso, quia saltem posterius Propositio & Terminus ab Aristotele considerantur in Logica, ostenditur illa esse materiale Logicæ. Syllogismusque est objectum Logicæ, in quantum perfectæ & illustratæ ab Aristotele, non autem Logicæ simpliciter. Est autem Logicæ, ab Aristotele illustratæ, solus Syllogismus objectum, quia artificium syllogisandi, primus ille enucleavit. Jam enim definitionem perfecerat Socrates. Divisionem Plato, restabat illi, perficiendus Syllogismus.

OBJICITUR II. Secunda operatio non facit formaliter scire, sed id competit non nisi tercia operationi. Ergo secunda operatio, non potest esse materiale Logicæ.

RESPONDETUR. Secundam operationem sicut & primam, non facere formaliter scire per discursum, & modo maxime hominibus proprio, facere tamen formaliter scire sine discursu, & modo non obvio hominibus nec proprio. Est enim quidam modus cognoscendi merè & obviè humanus, qui in duobus consistit, primò in

usu phantasmatum materialium, eo quod nostræ scientiæ dependeat à sensibus. II. In modo rerum cognoscendarum, qui est ex uno noto, devenire in cognitionem ignoti, & hæc cognitio vocatur discursus. Alter verò cognoscendi modus, est quædam imitatio modi cuiusdam Divini & Angelici cognoscendi, qui modus cognoscendi in hoc est dissimilis Angelico, quia dependet à phantasmatibus materialibus & sensibus, in hoc autem est similis, quia sicut uno actu & intuitu plura noscunt, ita & nos unico actu indivisibili, plura etiam interdum cognoscimus, idq; conformiter ad objectum, & sine ullo discursu & illationibus formalibus, quas etiam non faciunt Angeli, & hoc maxime apparet in definitione, quæ licet in ante prærequirat ordinariè cognitionem v. g. animalis & rationalis, in ipso tamen actu definiendi utrumque hoc uno intuitu cognoscit. Nec officit, quod non discurrat, quia & DEUS Angelique non discurrunt, & tamen salvatur in illis ratio scientiæ, ipsaq; propositiones possunt esse certæ & evidentes, unde propositionibus tribuitur, quod sint æternæ veritates, adeoque scientifiæ, licet usus communis, nomen scientiæ potissimum discursui applicet, tanquam magis obvio modo. Definitiones enim v. g. non sunt obviæ, & paucissimæ habentur. Ex quo deduces licet secunda operatio non faciat formaliter scire discursive & modo hominibus proprio antonomasticon, facit tamen formaliter scire, modo ut ita dicam Angelico & divino.

INSTABIS I. Propositio non est Ratiocinium, quantumvis sit certa & evidens, neque est cognitio per causam. Ergo secunda operatio non facit formaliter scire.

RESPONDETUR. Negando solum Ratiocinium facere scire. Debetque scientia esse per causam, ea, quæ est magis obvia in humanis, sed non scientia absolute.

INSTABIS II. Per secundam operationem tanquam per instrumentum sciendi, non deveniunt scientiæ ad cognitionem conclusionum de suis objectis.

RESPONDETUR. Tam per definitiones in suis materiis, quam per enunciationes, consequi finem suum scientias; nec est necesse omnem modum scientiæ deservire ad cognitionem conclusionum, cum non sola cognitio conclusionum sit modus sciendi. Et si istud deservire conclusionibus, sit unice ad scientiam necessarium, sufficiet deservire aptitudinale & in potentia, licet non deserviat actu, quod deservire aptitudinale, competit enuntiationi comparatè ad syllogismum.

INSTABIS III. Nec divisio & enuntiatio divisiva, facit formaliter scire, habet enim se per modum interrogationis nihil determinatè adstruentis, nihil autem determinatè adstruere, est utique nescire, perinde, ut nescitur, qualis est hic vel ille, dum dicitur est aut ruber aut niger.

RESPONDETUR. Falsum esse quod nihil determinati adstruat divisio aut enuntiatio divisiva, quia si conclusio per discursum illata, quæ infert animal aut esse rationale aut irrationale, facit rem determinatè scire, etiam divisio id habebit. Determinatione illa non orta quidem quasi unum non plura notificentur, sed ex eo, quod de illis pluribus determinatè notitia certa & evidens habeatur, qualis determinatio non habetur, dum nescio an Petrus sit ruber, cum possit esse albus, determinatè autem scitur animal esse aut rationale aut irrationale.

Quamquam formaliter scire, in quo se fundat medius terminus, non est formale, Logicæ, cum id potius spectet ad scientiam in communi.

OBJICITUR III. Ita se habet argumentatio in Logica, sicut Oratio in Rhetorica, sed objectum attributionis Rhetoricæ est Oratio. Ergo & hic argumentatio. Secunda autem operatio non est argumentatio.

RESPONDETUR. Etiam Orationem in Rhetorica sumptam pro illo opere Rhetorica, quod constat Exordio, Confirmatione &c. non esse objectum attributionis, sed potius Orationem sumptam, pro quacunque locutione copiosa & ornata, ex quo sequetur operationem intellectus non tantum sumptam pro tertia operatione, sed & alias esse objectum Logicæ.

Punctum Difficultatis 4.

An tertia Operatio, & non sola demonstratio sit Objectum materiale Logicæ.

DICENDUM EST. *Materiale Objectum Logicæ esse, tertiam etiam Operationem, & non solum demonstrationem.*

PROBATUR. Conclusio lisdem argumentis, quibus & superior.

CONFIRMATUR. Conclusio ex Oviedo. Objectum attributionis debet esse tale, ad quod omnia in scientia revocentur. In Logica, non omnia revocantur ad demonstrationem. Ergo non est Objectum attributionis. Minorem probat. De syllogismo probabili agit Logica, qui non revocatur ad Demonstrationem, neque enim syllogismus probabilis est pars Demonstrationis, neque præsupponitur ad Demonstrationem, imò est species essentialiter opposita & dividens syllogismum in communi. Partes autem essentialiter oppositæ, non ordinantur ad se.

RESPONDEBIS. Syllogismum probabilem non ordinari ad Demonstrationem, cognitionem tamen syllogismi probabilis ordinari ad cognitionem demonstrationis. Cognitionem enim contrarii ducit ad cognitionem alterius.

CONTRA EST. Ergo etiam & cognitio demonstrationis referretur ad cognitionem Syllogismi